Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2951
Quelle:
Copyright:

ctor imperii &c. inſcripta eſt *pro Rege*, licet ſuperius Sabbato ſancto *pro Imperatore* oratum fuerit.

DCCCXVII.

33 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. max. eleganter ſcriptus et coloribus exornatus continet *Miſſale Dioeceſeos Brixinenſis* in Tyroli, id, quod colligitur cum ex praefixo *Calendario*, in quo Nonis Febr. dies feſtus *SS. Ingenuini et Albuini*, Prid. kal. Auguſti *Dedicatio in Brixina*, atque Idib. Aug. dies feſtus *S. Caſſiani Epiſcopi et Martyris* miniatis literis conſignantur, tum ex Miſſis propriis Sanctorum, in quibus extat Miſſa de *SS. Ingenuino et Albuino fol.* 157. cum *ſequentia*, cujus hoc eſt initium:

Innouentur hac in die
Soni dulces ſymphonie
Ad feſtiua gaudia
Et in laudem confeſſorum
Vox erumpat leta quorum
Subeſt nunc memoria &c.

Miſſa item de *S. Caſſiano fol.* 178. pariter cum *ſequentia* hujus principii:

Glorioſa fulget dies exultet eccleſia
Hominibus pax et leticia
Immortali translatus emicat memoria
Caſſianus martir noſtra ſpes et gloria &c.

Miſſa demum horum SS. ſimul ſumtorum inſcripta *pro patronis fol.* 217. cujus *ſequentia* ſic orditur:

Exultet polus hijs pollens ſideribus
Applaudat tellus cunctis cum fidelibus
Et tu brixina felix ex gratia multifaria &c.

Ante canonem viſitur Chriſti imago *tribus* tantum clavis cruci ſuffixi. In ipſo canone fit oratio etiam *pro Rege*. Ad calcem Codicis adſcripta eſt *Benedictio* (vini) *amore ſancti Johannis apoſtoli et ewangeliſte.*

DCCCXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 330. 4. per duas columnas exaratus, literis initiorum laborioſo artificio coloratis, deauratisque, et eleganti picturarum varietate decorus, Liber 396

Miſ-